



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

**Luxemburgi, 1740**

CXX. Confirmatio quorumdam Decretorum & Statutorum Congregationis  
Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis  
Redemptionis Captivorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](#)

CXX.

Confirmatio quorundam Decretorum & Statutorum Congregationis Hispaniae Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Dat. die 10.  
Dec. 1733.  
Pont. An. IV.

## CLEMENS PAPA XII.

*Ad futuram rei memoriam.*

Exordium.

**I**N supremo militantis Ecclesie Solio per ineffabilem divinæ Bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio constituti, ea, quæ pro salubri Congregationum Religiosorum Virorum, qui Altissimi obsequio sub suavi Religionis iugo mancipati sunt, directione provide prudenterque constituta sunt, ut firma semper atque inviolata persistant, Apostolici munimini præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

Tenor supplicationis.

**S.** 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Michael a Sancto Raphaële, Procurator Generalis Congregationis Hispaniae Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod Capitulum Generale, & Definitorium Generale Congregationis hujusmodi quadam novas leges, decreta, & statuta pro felici prosperoque ipsius Congregationis regime, præsertim pro Capitulorum Generalium celebratione, fecerunt, & in unum volumen redigi curarunt, tenoris, qui sequitur, videlicet:

**Tenor Legum, Decretorum, & Statutorum, de quibus supra fuit facta mentio, talis est, prout sequitur, videlicet:**

Exordium Statutorum.

Postquam Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XII. per suas literas in forma Brevis die 11. Septembri 1730. ea confirmavit Decreta & Statuta, que ad uniforme gubernium omnium Provinciarum intra & extra Hispaniarum Regna erant erectæ, & erigerentur in posterum; celebratis jam sex Provinciarum Capitulis, stabilitoq[ue] earum uniformi gubernio, hæc Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Congregationis Hispaniarum nuncupata, Religio humillime & vehementer defiderat, quod alia nunc Decreta, quæ vi facultatis a fel. rec. Domino Nostro Benedicto XIII. concessa Capitulo Generali tunc futuro, & Definitorio Generali sequenti, per suas literas in forma Brevis die 26. Februario 1728. facta quidem, & stabilita a prædictis Capitulo & Definitorio, cæbro studio, & omni meditatione præmissis, integroq[ue] quotidiani sessionibus anno consumpto a Definitorio, utpote ad celebrationem instantis Capituli Generalis conductientia, ita statutis jam Capitulis Provincialibus necessaria, Apostolicæ auctoritatis confirmationem robuste consequi mereantur & obtineant: Ideo adjunctis nonnullis, quæ vim Constitutionis per trium Capitulorum confirmationem circa observantiam obtinuerunt, juxta Constitutionem fel. rec. Sanctissimi Domini Nostri Clementis PP. X. cuncta Sanctæ Sedis auctoritati proponenda, & Apostolicam confirmationem petendam hic subjiciuntur, videlicet:

**I.**

Quod in nostra Religione Excalceata erunt dñe Familiae, in quas totus veniat Universalis Ordo divitus: quarum una denominabitur intra Hispania: & extra-Hispana altera: Utraque erit sub Tulari sibi Electio.

In Religione Excalceata duæ Familiae:

Bullarii Romani Contin. Pars VIII.

**II.** Quod ex his duabus Familiis unus Minister Generalis in Caput & eam Superiore eligendus est, & postea Commissarius Generalis in Superiori Generalem familæ, de qua Minister Generalis non fuerit assumptus: ita ut Ministro Generali tamquam Superiori omnium Commissarius Generalis & ceteri omnes humiliter pareant & obidiant; quin sub pena transgressionis obedientia ulli ceterorum, nec toti Definitorio alterius Familiae, liceat resistere illius mandatis, præsertim post secundam iussionem, in quâ expressa sit clausa: Non obstantibus his, quæ Nobis exposta sunt: quando exposta referantur ad literam,

Ex quârum una Minister Gen., ex altera Commissarius Gen. eligendi.

**III.** Quod similiter sua Familia obedire tenebitur suo Commissario Generali, qui vel jurisdictione ordinaria vel delegata in aliquo casu gubernium totius Familiae tenet, quin impedi aut retardari possit ab alio, quam ab omnium Superiori Ministro Generali Ordinis.

Commissarii jurisdictione a solo Ministro Gen. potest impediti.

**IV.** Quod ut semper ac futuris temporibus sine affectu Familiae sive Regionis murmur aut querela unitas Religionis sub uno Capite permanere possit & debeat, in proxima futura Eleccióne Ministri Generalis, facienda juxta Sanctam Regulam, eligendus & assendum est in hoc munus filius Familiae Hispanie: & in Commissarium Generale alterius Familiae, scilicet extra-Hispanæ assendum est filius ejus.

Minister Generalis primo ex una, secunda ex altera Familia affundendus.

**V.** Quod finito sexennio post prædictam primam Electionem futuram, eligendus est in Ministrum Generalem Ordinis filius extra-Hispanæ Familiae; & in Commissarium Generale pro sua Familia filius Familiae Hispanæ.

Quod in mo-  
riente tem-  
pore sui se-  
xennii ex ea-  
dem Familia  
Vic. G. eli-  
gendus,

**VI.** Quod hac semper vicissitudine imposterum fiat Eleccióne Ministri Generalis Ordinis in Capitulo Generali.

Quod ser-  
vandum ob-  
veniente obi-  
tu, cessione  
&c. Com-  
mis. Gen.

**VII.** Quod si durante sexennio Ministrum Generalem Ordinis mori contingat, vel alia quavis causa ejus officium vacaverit, ex eadem Familia ille eligendus est Vicarius Generalis Ordinis, qui, excepto nomine Ministri in omnibus & per omnia eamdem jurisdictionem & praeminentias habere debet, ac Minister Generalis habuerat, & quod ejus officium duret dumtaxat usque in finem illius sexennii, ne privatur Familia Superiori Generali Ordinis adhuc per breve tempus ante Capitulum, nec inter Familias alteretur vicissitudo.

Cap. Ge-  
ner. quoq[ue],  
& quali tem-  
pore cele-  
brandum.

**VIII.** Quod si contingat, Commissarium Generale deficeret in alia Familia, mortis, renuntiationis, aut alia quavis causa, tunc Minister Generalis ex eadem ejus, qui defecerit, familia eligat Vice-Commissarium, qui auctoritate delegata, & nomine delegantis expresso omnes illi commissas facultates usque ad proximum Capitulum exerceat.

Quid pre-  
standum an-  
te Capituli  
celebra-  
tionem.

**IX.** Quod Capitulum Generale ad prescriptum Regule celebretur de triennio in triennium Sabbathante quartam Dominicam post Pascha extra Curias Principum, in domo designanda a Ministro Generali Ordinis, quatenus ipse præsideat, consulito Definitorio Generali ipsius: vel a Commissario Generali, consultis Definitoribus sua Familiae, Ministro Generali non præsidente;

**X.**

Quod tempore Capituli non admittantur hospites, nec domum capitularem ingrediantur Vocales per duos menses ante celebrationem Capitoli, nisi fuerit Pater Provincialis illius Provincie, exceptis Socio, si Minister fuerit,

& Vocalis ille, qui ante annum habeat in eadem domo suam ibi designatam residentiam continuam.

## XI.

Quod Minister Generalis, & ejus Diffinitorum praesistere debent ante Capitulum in eadem domo Capitulari, & ceteri Vocales ingredi tenentur Feria Quinta ante prædictam Dominicam quartam post Pascha.

## XII.

Quod Pater Minister Generalis tempore apto, ut omnes, qui convocandi sunt, ad Capitulum congregentur, mittat literas vocatorias omnibus Vocalibus, qui teneantur concurrere, & invocatorias, quibus licetum sit non concurrere, eaque omnes mittat cum expressione temporis & loci celebrationis imminentis Capituli Generalis; & quod si hujusmodi literæ ad aliquem Capitularem non pervenerint, nihilominus ipse concurrat, & vocatus intelligatur; dummodo constet de promulgatione Capituli Generalis facta, & in sua Provincia aliis nota.

## XIII.

*De Præside ejusdem Capituli.*  
Quod in Capitulo Generali Ordinis semper præsideat Superior Generalis illius, sive Minister: sive pro casu Ministri defectus, Vicarius Generalis cognominetur; & quod si congregato jam Capitulo, ipse exhortaverit, vel propter aliam causam non accederit ad Capitulum, tunc Commissarius Generalis alterius Familiae erit Præses Capituli, ejusque præsidentia durabit usque ad finem dicti Capituli, nisi præsens fuerit noviter Electus in Ministrum Generalem, quia tunc præsidentia habere debet; & quod si etiam contingat, congregato Capitulo, Ministrum Generalem & Commissarium Generalem alterius Familiae simul deficeret, tunc Præses Capituli eligatur ab omnibus Vocalibus simul, & usque in finem Capituli præsidentiam habeat, nisi noviter electus in Ministrum Generalem sit præsens.

## XIV.

*Qui suffragium in eo habere debent.*  
Quod in Capitulo Generali suffragium tantum habeant sequentes: Præses Capituli, sive sit Minister Generalis, sive Vicarius Generalis, sive Commissarius alterius Familiae, sive Præses electus a Capitulo: deinde Commissarius Generalis, vel Vice-Commissarius Familiae, ex qua novus Minister Generalis assumendus est: Item Diffinitores Generales Ordinis, & postea Diffinitores Generales Familiae: omnes Ministri vel Vicarii Provinciales: singuli Socii primi pro singulis Provinciis Ordinis: Procurator Generalis Ordinis, itaut quoties in Hispania celebretur Capitulum Generale, suffragium habeat Procurator Generalis Hispaniae, & quoties celebretur Capitulum extra Hispaniam, suffragium habeat Procurator Generalis Curiae Romanae: atque etiam suffragium habebit Secretarius Generalis Ministri Generalis, qui spirat: & præterea suffragium habet poterit, qui aliquando fuerit Superior Generalis Ordinis, vel Familiae, Minister scilicet, Vicarius, Commissarius, vel Vice-Commissarius: & quod sub pena privationis ad posterius Ordinis officia nullus, ne ad Capitulum adest, nisi propter infirmitatem, excusari possit, illis exceptis, qui anteas Superiores Generales fuerunt, quibus, dummodo actu non sint Vocales, liberum erit adire vel non adire Capitulum propter etatem & labores antea suscepitos.

## XV.

*Locorum in eo assignatio.*  
Quod primo loco sedeat in Capitulo Præses, & ad ejus dexteram tota familia, ipsius Ministri Generalis, qui spirat: Secundo loco & ad seipsum Præsidis Superior Generalis alterius Familiae cum rota sua familia; Itaut Superiores Generales Caput agant ad latera; & post quemlibet intra propriam Familiam ejus ceteri sequan-

tur hoc ordine: Diffinitores Generales: Ministri aut Vicarii Provinciales: Socii primi & etiam secundi, quando subrogantur pro Vocali aliquo, quamvis subrogentur pro illo, qui superiorem fedem haberet: Præterea actualis Procurator Generalis, qui habeat suffragium: deinde Secretarius Generalis, & denique post Vocales suæ Familiae qui aliquando fuerat Superior Generalis pro ea; & si plures fuerint, qui aliquando munus Superioris Generalis habuerint, qui fuit Superior Generalis Ordinis, præcedat eum, qui fuerat Superior Generalis Familiae; & si eodem munere plures fuenterint pro eadem Familia, antiquior in professione præcedat; qui quidem ordo intra & extra aulam Capitularem servandus erit, quando five in Refectorio five in Choro ad latera sedent Capitulares; si autem alibi non ad latera sedent, post Ministrum Generalem se-debit Commissarius Generalis Familiae: postea Diffinitores Generales Ordinis: deinde Diffinitores Generales Familiae: postea PP. Provinciales juxta antiquitatem eorumdem: præterea Procurator Generalis: & post eum Secretarius Generalis: ac denique qui fuerant Superioris Generales, itaut qui Minister Generalis fuerat, præcedat tunc, qui solus fuerat Commissarius Generalis; & si plures fuerint Magistri, antiquior præcedentiam habeat, cujuscumque Familiae fuerit.

## XVI.

Quod Feria Quinta ante Dominicam quartam post Pentecosten congregentur omnes Capitulares in Domo designata, ante meridiem, ut ad vesperum Præses Capituli congreget omnes Capitulares, & id faciat, quod juxta nostras Constitutiones præmittere debet.

## XVII.

Quod die sequenti, scilicet Feria Sexta congregentur Familiae, unaquaque seorsim ab alia, & Præses cujuscumque Vocalibus suæ Familiae notum faciat Catalogum omnium Religiosorum, qui in Provincia sua Familiae, attenta solum graduatione, & inspectis interstitiis juxta nostras Constitutiones, apti reperiantur ad munera & officia suæ Familiae in eo Capitulo pertinentia; ut nullus postea conqueri possit, quod sua aptitudo non fuerit omnibus Vocalibus suæ Familiae præsens; sed hujusmodi aptitudo ex pura graduatione & interstitiis judicanda erit, quin ad mores & observantiam referatur aptitudo hæc, ut alii includantur, exclaudantur alii, alias daretur dissensio-num, & occasio litium.

## XVIII.

Quod postea eodem die, alia tamen sessione, iterum congregentur Familiae seorsim, ut eligibilitatis scrutinium fiat ab unaquaque sequenti modo: Quod Familia, ex qua assumendus est Minister Generalis in eo Capitulo, juxta suam conscientiam eligibilitatis scrutinium toti Capitulo proponendum si faciat, scilicet, quod unusquisque illius familie ex catalogo, omnibus credito, eorum, qui ex graduatione & interstitiis apti reperiantur ad Ministri Generalis officium, quinque in schedula una feligat; quique suo iudicio, omnibusque inspectis, aptiores esse crederit, & coram rota Familiae sua, ad id congregata omnes tradant hujusmodi schedulas suo Superiori; qui solis cum duobus immediate Vocalibus easdem schedulas regulabit, & quinque illos eligibiles, qui plures voces habuerint in praedictis Vocalium schedulis, eligibiles declarare, & omnibus Gremiis manifestare tenebuntur, ostendendo illis schedulam manu unius Scrutatoris scriptam, subscriptamque ab alio Scrutatore, & signatam ab ipso Præside, qui statim hanc suæ regulationis schedulam, totius Capituli

*De aliis rebus Capituli celebrationi committendis.*

*De scrutiniis eligibilitatis.*

Praesidi tradere tenebitur; & similiter idem fiat ab alia Familia Generalis, qui spirat, ad faciendum scrutinium eligibilitatis ante Commissarii Generalis electionem.

## XIX.

Quod eadem Feria Sexta simile fiat scrutinium, in quo unusquisque Vocalium scribat se feligendo ex catalogo inter aptos ad Diffinitoriis officium pro sua Familia duodecim; ut ex omnibus schedulis duodecim continentibus a Scrutatoribus & Praeside Familiae, regulatis vocibus, duodecim, qui plures voces, quam ceteri habeant, scribantur in alia schedula modo dicto; & similiter publicata postrema schedula, ut de proxime eligibilius constet, tradatur Praesidi. Si autem contigerit, quod in eligibilitatis scrutinio duo vel tres aequalis numerum suffragiorum seu vocum habeant, illi omnes reputentur eligibles: si vero hujusmodi aequalitas reperiatur, quando jam ad numerum eligibilium solum deficiantur unum, duo vel tres, tunc antiquiores in professione eligibles reputentur. Ceterum si omnes voces singulorum Vocalium pro duobus, tribus aut quatuor eligibilius reperiantur, fiat secundum scrutinium ad eligibilitatem illorum, qui usque ad numerum proxime eligibilium defuerint. Si quis autem inventus fuerit, se ipsum nominasse in schedula selectionis ad eligibilitatis scrutinium, eo ipso ineligible sit, quamvis seclusa voce illius, ceteras omnes habeat pro se. Caveatur stricte, ne Scrutatores ulli Vocalium revelare audeant numerum vocum, quas habuerat aliquis, qui eligibilis publicatur.

## XX.

Quod factis ab unaquaque Familia praedictis scrutinis, traditaque Praesidi Capituli schedula eligibilium modo dicto efformata pro eligibilius sua familia, Praeses totius Capituli familiam Generalis, qui spirat, certiore faciat de eligibilitate sibi nota ad electiones proxime futuras, a toto Capitulo faciendas.

## XXI.

Quod si in aliquo scrutinio eligibilitatis, vel supra eo aliquae difficultates occurrerint, determinande sunt a Diffinitorio Generali ejusdem Familiae, cuius resolutioni standum erit, sub pena ad arbitrium ipsius Diffinitoriis.

## XXII.

Quod his omnibus eadem Feria Sexta expeditis, sequenti die, Sabbatho scilicet, post solemnem Spiritus Sancti Missam, & cetera, quæ juxta nostras Constitutiones debent præmitti, congregentur omnes eo modo & forma jam præscriptis, ut moris est, in propria Aula Capitulari; & quod Praeses eam concionem, quam tenetur habere, idiomate omnibus communis per se ipsum habeat; & peractis postea, quæ a nostris Constitutionibus disponuntur, modo eo ibidem disposito, fiat Ministrorum Generalis electio.

## XXIII.

Quod post Vespertas ejusdem diei congregentur in Aula Capitulari Vocales omnes illius Familiae, pro qua Minister Generalis spirat, & Praeside eodem, qui totius Capituli Praeses fuerit, atque sibi electis Secretario & Scrutatoribus modo dicto, omnes simul canonice elegant Commissarium Generalem ad triennium immediate futurum, pro sua, & ex sua Familia assumptum eodem modo ac ritu, quibus Minister Generalis Ordinis ante prandium electus fuerat.

## XXIV.

Quod sequenti die, videlicet Dominica, congregentur omnes utriusque Familiae Vocales, & similiter per secreta suffragia elegant ad futurum sexennium sex Diffinitores Generales Ordinis, qui semper assumendi erunt ex Familia Ministri Generalis noviter electi.

De electione  
novorum  
Diffinitoriū.

XXV.  
Quod similiter post Vespertas hujus diei congregentur omnes, qui Commissarii Generalis fuerint pridie Electores, & ex sua familia, & pro ea sex alios Diffinitores Generales Familiae elegant ad futurum triennium qui nec vocari possint, nec te ipsa erunt Diffinitores Generales Ordinantis.

## XXVI.

Quod Diffinitoribus omnibus electis, congregate tota solaque Familia intra-Hispana, & Praeside eodem Capituli Generalis, canonice & ad triennium ex sua Familia eligat Ministrum nostri Conventus Romani Sancti Caroli; & postea Familia, ex qua Minister Generalis spirat, similiter canonice & ad triennium ex sua Familia Ministrum nostri Collegii Romani de Propaganda Fide.

De electione  
Ministrorum  
Conventus San-  
cti Caroli de  
Urbe.

## XXVII.

Quod immediate Feria Secunda Familia Ministri Generalis, qui spirat, albis nigrisque globulis, aut lapillis assumptis, eligat Procuratorem Generalem Ordinis pro Romana Curia, ex sua Familia assumptum, cui totum Capitulum, antequam finiatur, dare tenebitur Ordinis mandatum Generalis Procuræ.

De electione  
Procuratorem  
Gen. Ordini-

## XXVIII.

Deinde Familia Ministri Generalis electi, Praeside eodem Capituli, similiter ex sua Familia eligat Procuratorem Generalem Familiae suæ pro illius negotiis in Romana Curia exercendis, cui etiam ante finem Capituli dabit suum mandatum Procuræ cum expressa prohibitione sub pracepto formalis, ne in communib[us] negotiis Religionis se immisceat nec verbo; aut scripto a se aut ab aliis sua Familiae cognominetur Procurator Generalis Ordinis.

Et unius cu-  
jusque Familiæ.

## XXIX.

Quod Feria Tertia qualibet Familia seorsim ex qualibet Provincia sua duas domos designet, quæ Capitulares cognominentur, ut qui fuerint earum Ministri, immediate ante Capitulum Generale Ordinis, aut Familia suæ, in solius electionis in Ministros carum domorum Socii sint ad Capitulum Generale futurum; Itaut Minister domus, prius in hoc Capitulo designata, sit primus Socius, & in Capitulo futuro suffragium habeat: & Minister alter, scilicet domus posterius designata, pro eadem Provincia sit Socius Secundus, & in defectum alicuius capitularis.

De designa-  
tione Domo-  
rum Capitu-  
larium.

## XXX.

Quod si fuerit aliqua domus extra Provinciam, præter dictas Sancti Caroli, & de Propaganda, & Minister illius majorem partem triennii post suam Electionem expleverit, Familia illa, ad quam domus pertineat, Ministrum eligat in eodem Capitulo Generali ad triennium, quia postea finito triennio ad Diffinitorum Familiae pro alio triennio usque ad Capitulum Generale pertinebit electio.

## XXXI.

Quod electiones Ministrorum horum in Capitulo Generali poterunt fieri sine scrutinio ex omnibus aptis, quia propositis quinque ex aptis a Diffinitorio Provinciæ, ex qua eligendus assumiri debeat, Familia in eo Capitulo eligere poterit, quem judicaverit eligendum.

## XXXII.

Quod ad removendas opiniones contra obseruantiam, totum Capitulum confirmare debet omnia præcepta formalia, quæ in nostris Constitutionibus continentur,

## XXXIII.

Quod octo postea designentur ex Ministris Provincialibus actualibus, & Diffinitoribus Familiae, & una cum Diffinitoribus Generalibus Ordinis concurrant ad correctionem vel depositionem Ministri Generalis, si in illo sexenio

Confirman-  
da præcepta  
formalia  
Constitutio-  
num.

opus fuerit, ut in nostris Constitutionibus statutum habetur.

## XXXIV.

Quod cætera omnia fiant, cunctaque legantur, ut moris est, prout a nostris Constitutionibus est dispositum, ante confirmationes. Et his peractis, Praeses Capituli imponat præceptum, quod juxta eisdem Constitutiones, ut moris est, imponitur ad impedimenta detegenda; nulloque invento, vel a Diffinitorio Generali Ordinis judicio facto de alicujus impedimenti dubio, totum Capitulum Generale confirmet electionem Ministri Generalis Ordinis, ut moris est, post Breve fe. re. Urbani PP. VIII.

## XXXV.

Quod omnes Vocales ad illius Electionem confirment Electionem Commissarii Generalis Familiae.

## XXXVI.

Quod postea duo Diffinitoria simul cum Praefide confirment Electiones Diffinitorum Generalem Ordinis: ac demum ordine servato Electionum qualibet Familia cum Praefide confirmet eas Electiones, quas canonice fecit.

## XXXVII.

Quod tempore Capituli Generalis ultra Milsum, & concessionem designatam a nostris Constitutionibus, duas publice post solemnum Missam conciones erunt ex festivitatibus Ordinis ad arbitrium Praefidis, qui tempore apto monere debet Provinciales suæ Familiae, ut Prædicatores eiulant, quos voluerint pro determinata ab ipso Praefide concione facienda in Capitulo illo. Monens tamen Provinciales, ut si concessionatores vel concessionator aliquis satirice ad animum populi excitandum, vel complacendum, prædicaverint, illico & perpetuo prædicandi & concessionandi licentias auferant, vel licentiam, itaut nisi de consensu Capituli Generalis futuri, minime, qui defecerit, possit intra nec extra domus nostras Spiritus Sancti ascendere Cathedram.

## XXXVIII.

Quod cum favente Deo plures sint extra Hispaniam institutæ Provincie, & ad felicius faciliusque Ordinis regimen sub unitate unius Capitis bipartitio facta fuerit & instituta, ut in omnibus utraque Familia dignoscatur aequalis, & ad præscriptum Regulæ de triennio in triennium celebretur Capitulum Generale, quod quidem juxta illius tenorem semper celebratum fuit, ut solum de sexenno in sexennum fuerit Capitulum electivum Ministri Generalis juxta illud Regule: Electio Majoris ac Generalis Ministri de sexenno in sexennum, & post triennium hujus Capituli electivi aliud Capitulum generale, quod ab initio vocatur intermedium; ita etiam servetur in posterum, hoc solo discrimine, quod Capitulum electivum de sexenno in sexennum celebrandum Capitulum Generale Ordinis vocetur: & Capitulum intermedium solum celebretur in ea Familia, ex qua in Capitulo Generali Ordinis Commissarius Generalis electus fuerit; sicque verificabitur, quod semper de triennio in triennium aliquod Capitulum Generale celebretur in Ordine.

## XXXIX.

Quod Capitulum, Ministri Generalis electivum, semper celebrari debet intra Familiam, ex qua Minister Generalis spirat, cui Familia correspondet celebratio futuri Capituli Generalis intermedium, ut sic supremum Caput Religionis nunquam munus suum finiat extra Familiam suam.

Capit. electi-  
vum Ministr. i  
Gen. in ejus  
Familia cele-  
brandum.

## XL.

Quod Capitulum Generale intermedium celebrari debet juxta Regulam Sabbatho ante quartam Dominicam post Pascha, post triennium a die celebrationis Capituli Generalis Ordinis, intra propriam Familiam, extra Curias Principum, in Domo designanda a Praefide Capituli, qui semper erit Commissarius Generalis Familiae, nisi intra illam & extra propriam Familiam adsit Minister Generalis Ordinis, & voluerit praefidere in dicto Capitulo intermedium.

## XLII.

Quod si, instanti tempore Capituli, Praefis infirmetur, possit differre Capitulum per unum mensum tantum, quo elapsa, si adhuc fuerit impeditus, vel si congregato jam Capitulo agrotaverit, praefidat Diffinitor Generalis Familiae actu Prior inter alios.

## XLII.

Quod ad hujusmodi Capituli celebrationem per suas literas convocatorias convocare debet, & invitare per invitatorias Superior Generalis Familiae omnes, qui concurrere debent & possunt, eo modo, quo dictum est de Capitulo Generali Ordinis in aliquo anno sit futurus Praefes Capituli intermedium.

## XLIII.

Quod in Capitulo intermedium suffragium habere debent Minister Generalis si adsit: Superior Generalis Familiae: Diffinitores Generales illius: Ministri Provinciales, vel Vicarii Provinciales ejusdem: Ministri actuales Domorum Vocalium, quæ in Capitulo Generali Ordinis designatae fuerint, ut earum Ministri, finito sexenno, Socii sint ad Capitulum Generale Ordinis; Quippe Ministri hujusmodi Domorum ad Capitulum intermedium debent concurrere, & eorum Successores in eisdem Domibus ad Capitulum Generale Ordinis; quod etiam intelligitur de Sociis in defecum: Præterea suffragium habebit in hoc Capitulo intermedium intra Hispaniam Procurator Generalis Hispaniae, & extra Hispaniam Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana: Deinde Secretarius Generalis superioris Familiae: Ac demum qui in eadem Familia assumpti fuerant aliquando Superiores Generales Ordinis vel Familiae; itaut hi pro libito, cæteri autem sub pena perpetuae privationis concurrere tenentur, sicut dictum est circa Capitulum Generale Ordinis.

## XLIV.

Quod in Capitulo intermedium circa præcepta scrutinia, selectiones eligibilium, ac cætera præambula, ea omnia observentur, quæ dicta manent circa Capitulum Generale Ordinis, & habentur in nostris Constitutionibus.

## XLV.

Quod tempore Capituli sedeat ordine, quo nominati sunt, & quod si casus occurrit, in quo recens Electus præsens fuerit, sedeat immediate post Commissarium Generale, qui spirat, & statim suffragium habeat, quamvis de corpore Capituli non sit.

## XLVI.

Quod, facta electione Superioris Generalis Familiae, qua semper debet fieri prædicto Sabbatho ante prandium, vespere congregentur Vocales, & sex Diffinitores Generales Familiae ex eadem elegant.

## XLVII.

Quod altera die congregentur omnes in aula Capitulari, & si Familia fuerit intra Hispaniam primo eligat Ministrum nostri Conventus Romani S. Caroli; & licet intra Hispania non sit, eligat Ministrum nostri Collegii Romani de Propaganda Fide.

## XLVIII.

ElegendiDiffi-  
nitores Fa-  
miliae.

Cætera ser-  
vania, prout  
in Cap. Gen.  
Ordinis.

Cætera per  
hoc Cap.  
fa-  
cienda.

## XLVIII.

Quod Capitulum Generale intermedium nullas alias electiones facere poterit; Ideo his finitis agere debet de redemptione & observantia, facereque Statuta & Ordinationes pro sua Familia, quæ minime opponantur factis a Capitulo Generali, vel Diffinitorio Generali Ordinis; atque sibi eligere Chronistam pro tota sua Familia.

## XLIX.

Quod, omnibus peraditis, Commissarius noviter electus coram toto Capitulo repromittat obedientiam, eamque promittat speciale tempore sui muneric Superiori Generali Ordinis: Et postea totum Capitulum confirmet P. Commissarii electionem; & deinde confirmet etiam singulas electiones, quas canonice fecit: & fiunt legenturque, que facienda & legenda sunt in Capitulo generali, juxta nostras Constitutiones.

## L.

Quod dissoluto Capitulo Capitulares se mutua fraterna charitate amplexentur, & in suos Conventus proficiscantur.

## LI.

Quod illico & quamprimum Secretarius, qui fuerat Diffinitoriæ Familie, certiore faciat Ministrum Generalem Ordinis de omnibus electionibus, & de reprobatione obedientiæ moderni Commissarii Generalis.

## LII.

Quod in casu, in quo eligendus sit Vicarius Generalis Ordinis propter defectum Ministeri Generalis, ut diximus, Prior Diffinitori Generalis Ordinis tunc superstes per suas literas vocatorias congreget omnes Vocales sua Familiae, qui concurrere tenerentur, & possent, si in ea Familia celebrandum esset Capitulum intermedium; designetque Domum aptam etiam extra Principium Curias pro celebratione Congregationis, ut in ea congregentur tempore apto ad ipsius arbitrium, itaut quamprimum fiat Vicarii Generalis electio.

## LIII.

Quod, si Diffinitoribus Generalibus Ordinis, illo & alio exceptis, constituerit, quod per omissionem aut industriam prædicti primi Diffinitoris retardatur Congregatio, & Vicarii Generalis electio, liberum sit illis ad Sedem Apostolicanam authentice concurrere, ut a Summo Pontifice destinetur Vicarius Generalis Ordinis.

## LIV.

Quod prædictus Diffinitor primus sit Praeses hujus Congregationis, in qua imponat præceptum ad impedimenta detegenda; cunctaque alia exerceantur, quæ exercere debet Praeses cuiuscumque Capituli.

## LV.

Quod in prædicta Congregatione fiant scrutinia eligibilitatis usque ad numerum quintum eligibilium, prout in Capitulis Generalibus.

## LVI.

Quod post Missam solemnem de Spiritu Sancto, & cætera Praæambula, quæ sunt in Capitulis, fiat Elec[t]io Vicarii Generalis ante prandium, qua facta, immediate post Electionem pergent processionaliter in Ecclesiam cantantes Te Deum, quamvis noviter Electus non sit in eadem domo, in qua si fuerit, ab ipso benedictionem accipiant.

## LVII.

Quod Vespere iterum congregentur, & si Diffinitor aliquis electus fuerit in Vicarium Generale, Congregatio eligit novum Diffinitorem Generalem Ordinis; & si occurrat aliquod negotium urgens pro tota Religione, aut aliqua Familia, determinetur ab omnibus, ut moris est.

Quod postea confirmet electionem Vicarii Generalis; & deinde, si eam fecit, confirmet etiam Electionem Diffinitoris noviter electi.

## LIX.

Quod postea Congregatio dissolvatur, mutuoque amplexentur Vocales, quin alind fiat, neque concessionem aliquam habere; debeat in hac Congregatione. Si autem aliquis Provincialis, vel Vocalis alter, electus fuisset in Vicarium Generale, ad Diffinitorum Provincie pertinebit electio sive Provincialis sive alterius Officii, quod electus habuerat.

## LX.

Quod si facto tertio scrutinio adhuc non fuerit electio canonica, omisso scrutinio, ille intelligatur vi hujus Constitutionis electus, pro quo fuerit major numerus suffragiorum, quam pro aliis aut aliis. Si autem pro duobus æqualis numerus suffragiorum repertus fuerit, maiorque quam pro aliis, tunc antiquior in professione reputabitur canonice electus.

## LXI.

Quod Diffinitores Generales Ordinis perpetuo solum erunt sex, & in toto Ordine eam praeminentiam, ceteraque omnia, prout in nostris Constitutionibus, habere debent. Diffinitores vero Generales Familie similiter, intra Familiam tantum, & post Diffinitores Generales Ordinis.

## LXII.

Quod duo Socii cujuscumque Provincia ad Capitulum Generale erunt Ministri actuales domorum capitularium, quæ in Capitulo Generale Ordinis electæ fuerint, ita Minister domus prius electæ sit primus Socius, & Minister posterius electæ domus sit secundus Socius, cuius manus solum sit concurrere extra domum capitulariem in loco proximo ad illam, ut præsto & in promptu sit ad hoc, ut si opus fuerit ob defectum alicuius Vocalis sua Provincia, suffragium habeat, supplendo pro eo; nisi Vocali, qui deficit, liberum fuerit adefens Capitulo; quippe horum suffragia suppleri non debent.

## LXIII.

Quod si per mortem, infirmitatem, aut aliam justam causam, Minister alicuius domus capitularis non possit interesse Capitulo, tunc Diffinitor Generale sua respectivæ Familie feligere possit domum alteram, cuius Minister actialis concurrat ad Capitulum, semper ut Socius secundus. Si autem contingat, utrumque Socium pro aliqua Provincia simul deficeret, Minister domus prius electæ a Diffinitorio in illo casu erit Socius primus.

## LXIV.

Quod Procurator Generalis Hispanie, qui non aliquarum, sed omnium Provinciarum Familie sunt, & Procuratoris, & Diffinitori Generalis semper habuit procura mandatum: idemque a Diffinitorio Generali Familie sua propter negotia ejusdem Diffinitori habere debet; ab eodem Diffinitorio semper eligatur de triennio in triennium juxta nostras Constitutiones.

## LXV.

Quod si Familia intra-Hispana, quando ei competit Capitulum Generale intermedium, illud celebrare non possit, illius Diffinitorium Generale eligat Ministrum nostri Conventus Romani Sancti Caroli ad sequens triennium: Et similiter Familia, quæ prædictum Capitulum celebrare jam instantे tempore nequeat, per suum Diffinitorium Generale eligat Ministrum Collegii nostri de Propaganda Fide ad immediatum triennium.

Diffinitores  
Gen. Ordinis  
tex:Duo Socii cu-  
jusque Pro-  
vincie Mini-  
stri actuales  
domorum  
Capitula-  
rium.De Procura-  
tore Gen. His-  
panie.Modus sup-  
plendi Capi-  
tulis inter-  
mediis si ha-  
beri nequeat.

Quædam Pris-  
vilia Con-  
ventus S. Ca-  
roli de Urbe.

## LXVI.

Quod Superior Generalis Ordinis, ex Familiâ extra-Hispania assumptus, nullam jurisdictionem exercet in Conventu nostro Romano Sancti Caroli, nisi eam tantum, quam in alios Hispaniæ Conventus exercere poterit; & quod in eo Conventu residere non possit; Quod potiori jure intelligentum est de Commisario Generali extra-Hispano.

## LXVII.

Quod Procurator Generalis, qui ex Hispania non fuerit electus, nunquam in predicto Conventu commotari possit, aut residere.

## LXVIII.

Quod pro hac prima vice suffragium habeant omnes secundi Socii Provincialium, ut suppleant suffragia Vocalium, qui ad futura Capitula Generalia ex nunc eligi debent.

## LXIX.

Quod in Regula nostra, in qua juxta dispositionem Sanctissimi Domini Nostri fel. re. Urbani VIII. dicitur, quod electio Ministrorum Provincialium, & Conventionalium, fiat in Capitulo Generali, auferatur vox, Generali; quantum juxta Breve Sanctissimi Domini Nostri Clementis PP. XII. hujusmodi Electiones jam fieri debent in Capitulo Provinciali.

## LXX.

Quod Regula, ubi Cap. 41. Diffinitorio Generali depositio Praelatorum, & eorum subrogatio reservantur, intelligitur de Diffinitorio Generali Familiae illius, qui deponit.

## LXXI.

Quod sub voto non ambiendi comprehendantur Commissarius Generalis, Vice-Commissarius, Diffinitores Generales Familiae, & omnes alii, qui habitu vel actu Praelati fuerint.

## LXXII.

Quod circa vacaciones seu interstitia, quæ in nostris Constitutionibus prescribuntur, addatur, quod Nullus possit eligi in Capitulo, in quo spirat, in aliam Praelaturam, nisi in Superiori Generalem, Ministrum scilicet juxta nostras Constitutiones, Vicarium, Commissarium aut Vice-Commissarium, si per sex annos integros & continuos semper intra illos functus fuerit officio Diffinitoris Generalis Ordinis: vel uno triennio Superioris Provincialis, & altero immediato Diffinitoris Generalis, vel Provincialis: vel duobus trienniis Ministri Conventionalis, & in altero Diffinitoris vel Ministri Provincialis.

## LXXIII.

Quod circa reelectiones addatur, quod Commissarius Generalis reeligiri non possit in suum officium, nisi eo fuerit functus per triennium integrum: Et quod nec Minister Generalis in Commissarium, neque Commissarius in Ministrum Generalem eligi possit, nisi casu quo Commissarius Generalis electus fuerit per annum ante Capitulum.

## LXXIV.

Quod Diffinitores Generales nequeant assumiri in Ministros Provincialles tempore, quo Diffinitores fuerint.

## LXXV.

Quod justis de causis Diffinitorum Generale, inspecta utilitate domus, possit dispensare, ut aliquis Minister reeligiri possit in Ministrum ejusdem domus pro triennio futuro a suo Capitulo Provinciali, consentientibus omnibus suffragiis Capituli, præter duo.

## LXXVI.

Quod reelectione Ministri sive Conventus nostri Romani Sancti Caroli, sive Collegii nostri de Propaganda Fide, fieri possit, inspecta utilitate domus, & nunquam in favorem ejus, qui reeligatur.

Quod casu absentie Provincialis, concurrens ad Capitulum Generale, Praes Provincialis erit Provincialis antecedens; & si fuerit inhabilis vel impeditus, Diffinitorum Provinciale, Praeside Provinciale ipso, eligat Praesidem Provincie pro tempore absentie; numquam tamen eligat actualiter Diffinitorem Provincie, ne Diffinitorum numerus diminuatur.

## LXXVII.

Quod dum concurrent Commissarius vel Vice-commissarius Generalis intra propriam Familiam, sedeat immediate post Superiori Generalem Ordinis: & extra Familiam Commissarii post Diffinitores Generales Ordinis.

## LXXVIII.

Quod, dum concurrent Commissarius vel Vice-commissarius Generalis intra propriam Familiam, sedeat immediate post Superiori Generalem Ordinis: & extra Familiam Commissarii post Diffinitores Generales Ordinis.

## LXXIX.

Quod Diffinitores Generales Ordinis in toto Ordine sedent juxta nostras Constitutiones, quamvis aliquod Diffinitorum sive Provinciale Generale Familiæ actu celebretur in ea Dominio, in qua aliquis Diffinitor Generalis Ordinis inveniatur; quo tempore juxta nostras Constitutiones Provincialis respectu Diffinitoris Generalis, & Minister etiam respectu Diffinitoris Provincialis amittat locum.

## LXXX.

Quod Diffinitores Generales Familiæ extra actualiter Diffinitori celebrationem intra suam Familiam sedent post Ministrum, sicut Diffinitores Generales Ordinis: & extra suam Familiam omnes alios hospites tam Ministros quam Provincialies praecedant.

## LXXXI.

Quod Provincialies hospites intra suam Familiam praecedant Provincialies hospites alterius Familiæ: Et quod Diffinitores Provincialies hospites praecedant intra suam Familiam hospites Diffinitores Provincialies alterius Familiæ: & quod postea eodem ordine sequuntur Ministri hospites: postea Redemptores intra suam Familiam, & extra illam post Procuratores non hospites: postea Procuratores Generales: & post hos omnes Procuratores plurimi Provincialium: &, si hospites fuerint, post Vicarium Domus: postea Procuratores Provincialies in suis Provinciis, & extra illas juxta antiquitatem professionis: postea Vicarii in suis Domibus, & extra illas juxta antiquitatem Domorum: postea Patres Confessarii intra & extra Familiam, Provinciam aut Domum suam: & postea Sacerdotes simplices, & cæteri omnes, prout in nostris Constitutionibus habentur.

## LXXXII.

Quod futuri temporibus suffragia pro nostris Religiosis defunctis solùm fiant intra Familiam eorum pro illis, qui profecti fuerint post confirmationem harum Constitutionum. Quod tamen pro Superioribus Generalibus utriusque Familiæ, & Diffinitoribus Generalibus, semper fiant in toto Ordine juxta nostras Constitutiones: Et pro Diffinitoribus Generalibus Familiæ intra Familiam: pro Ministris Provincialibus & Diffinitoribus Provincialibus intra Provinciam juxta ea, quæ in nostris Constitutionibus pro Diffinitoribus assignantur.

## LXXXIII.

Quod Titularis Provincialis in Provincia: & Conventus in Conventu fit Festum Ordinis.

## LXXXIV.

Quod prima & secunda Vesperæ canantur in Conventibus in omnibus Festivitatibus Christi Domini, & eius Sanctissima Matris, quæ ex ritu fuerint prima aut secunda Classis, quamvis ad colendum non pronuncientur.

## LXXXV.

Quod pro nostris Religiosis defunctis in omnibus Conventibus & Collegiis fiant Exequæ post Festum omnium Sanctorum Ordinis, sicut statutum est per Capitula Generalia.

Absente Pro-  
vinciali quis  
debet pre-  
dere.

Locus Com-  
missario, &  
Vice-Comm.  
Gen. assigna-  
tur:

Diffinitori-  
bus Gen.

Item Provin-  
cialibus.

De suffragiis  
pro Religio-  
sis Defunctis.

De Festivita-  
tibus Ordini-  
nis.

1733.  
Supplicatum  
Sanctissimo  
pro confir-  
matione hu-  
jusmodi Se-  
tacorum.

**S. 2.** Cum autem, sicut eadem exposicio sub-  
jungebat, Leges, Decreta, & Statuta hujusmodi  
bono prædictæ Congregationis gubernio valde  
utilia sint; firmiora verò existant ea, quibus  
Apostolica Sedis auctoritas accedit; Nobis pro-  
pterera dictus Michael Procurator Generalis humili-  
ter supplicari fecit, ut in præmissis opportune  
providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Mi-  
Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Mi-  
chaelam Procuratorem Generalem specialis favo-  
re gratia prosequi volentes, & a quibusvis excom-  
municationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis,  
a jure vel ab homine quavis occasione vel causa  
latis, si quibus quomodolibet innodatus existit,  
ad effectum præsentium dumtaxat consequen-  
dum, harum serie absolventes, & absolum  
fore censentes, hujusmodi supplicationibus in-  
clinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum  
S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultatio-  
nibus Episcoporum & Regularium præposito-  
rum, qui tamen mature perpenderunt, consilio,  
omnia & singula Decreta, Statuta, Leges, &  
Capitula præficta, auctoritate Apostolica tenore  
præsentium confirmamus & approbamus, il-  
lisque inviolabilis Apostolica firmatis robur ad-  
jicimus, ac omnes & singulos juris & facti de-  
fectus, si qui desuper quomodolibet intervenient,  
supplemus: salva tamen semper in præmis-  
sis auctoritate Congregationis eorumdem Cardi-  
nalium.

Quae beni-  
gnè conces-  
suntur.

Harum Lite-  
rarum obser-  
vancia.

Obstantium  
derogatio.

Fides tran-  
sumptis adhi-  
benda.

**S. 3.** Decernentes, easdem præsentes literas,  
& Leges, Decreta, Statuta, & Capitula præ-  
ficta, semper firma, valida & efficacia existere &  
fore, suosque plenarios & integros effectus for-  
tiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, &  
pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus  
& per omnia plenissime suffragari, & ab  
eis respective inviolabiliter observari; sive in  
præmissis per quoquaque Judices ordinarios &  
delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici  
Auditores, judicari & definiri debere; ac irri-  
tum & inane, si fecus super his a quoquam qua-  
vis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit  
attentari.

**S. 4.** Non obstantibus Constitutionibus &  
Ordinationibus Apostolicis; necnon Congregatio-  
nis Hispaniae, & Ordinis predicatorum, aliisque  
quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apo-  
stolica, vel quavis firmitate alia roboratis statu-  
tis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, in-  
dultis, & literis Apostolicis, in contrarium præ-  
missorum quomodolibet concessis, confirmatis,  
& innovatis. Quibus omnibus & singulis, illo-  
rum tenores præsentibus pro plene & sufficien-  
ter expressis ac ad verbum inseritis habentes, illis  
aliis in suo robre permanens, ad præmissorum  
effectum hac vice dumtaxat specialiter &  
expresse derogamus, ceterisque contrariis qui-  
buscumque.

**S. 5.** Volumus autem, ut earumdem præsen-  
tium literarum transumptis seu exemplis; etiam  
impressis, manu alicuius Notarii publici sub-  
scriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Di-  
gnitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides  
ubique locorum habeatur, que ipsis præsentibus  
adheretur, si forent exhibita vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maj-  
orem sub Annulo Piscatoris die 10. Decembbris  
1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Confirmantur omnes Confraternitates sub titulo  
B. M. V. Septem Dolorum a Superioribus  
Generalibus Ord. Servorum B. M. V. erectorum,  
etiamque de earum canonica erectione non con-  
stet.

## CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

**S. 1.** Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius  
Petrus Maria Pieri, Prior Generalis Ord.  
Servorum B. Maria Virginis, quod licet non fo-  
lum multæ in dicti Ordinis, sed etiam aliis Eccle-  
siis seu Oratoriis auctoritate Priorum Generalium  
ejus Prædecessorum erectoræ reperiantur Confrater-  
nitates utriusque sexus Christifidelium sub titulo  
B. Maria Virginis Septem Dolorum, quæ suas  
functio[n]es ad instar similium Confraternitatum  
obeunt, multaque pietatis & christiana[re] charita-  
tis opera exercent; de aliquarum tamen ex illis  
canonica ab initio institutione forsan non con-  
stat: & in aliarum erectionibus & institutionibus  
præscripta per Constitutionem fe. re. Clementis  
VIII. prædecessoris Nostri, qua incipit: *Que-  
cumque a Sede Apostolica &c. die 7. Decembri  
1604. editam, forsan servata non fuerunt: &  
alia ante emanatam Constitutionem hujusmodi  
erectoræ & instituta novas erectionum & institu-  
tionum hujusmodi, ac communicationis Indul-  
gentiarum, facultatum, & privilegiorum literas  
intra tempus ab eadem Constitutione præfixum,  
seu etiam postea, impetrasse minime reperiun-  
tur.*

**S. 2.** Nobis præterea dictus Petrus Maria  
Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in  
præmissis opportune providere, &, ut infra, in-  
dulgere de benignitate Apostolica dignaremur.  
Nos igitur ipsum Petrum Mariam specialis favo-  
re gratia prosequi volentes, & a quibusvis ex-  
communicationis, suspensionis, & interdicti,  
aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pe-  
nis, a jure vel ab homine quavis occasione vel  
causa latis, si quibus quomodolibet innodatus  
existit, ad effectum præsentium dumtaxat con-  
sequendum harum serie absolventes, & absolu-  
tum fore censentes, hujusmodi supplicationibus in-  
clinati, omnes & singulas Confraternitates præ-  
dictas sub titulo B. Mariae Virginis Septem Do-  
lorum a Superioribus Generalibus in quibusvis  
tam dicti Ordinis, quam aliis Ecclesiis seu Ora-  
toriis, ubicumque locorum de presenti erectoræ,  
tamen de earum canonica ab initio erectione  
& institutione non appareat, nec ipsa Confrater-  
nitates novas erectionum & institutionum,  
seu communicationis Indulgentiarum, facultatum  
& privilegiorum hujusmodi literas intra tempus  
a prædicta Clementis prædecessoris Constitutio-  
ne præfixum obtinuisse reperiantur, nec in ea-  
rum erectionibus & institutionibus præscripta  
per eandem Constitutionem servata fuerint, au-  
toritate Apostolica tenore præsentium confir-  
mamus & validamus; easque in statu valido esse  
& fore, decernimus & declaramus, in omnibus  
& per omnia, perinde acsi illas omnes & singulas  
ab ipso initio canonice erectoræ & institutas fuissent,  
novasque erectiones & institutions suo tempore  
juxta formam memorata Constitutionis Clementis  
prædecessoris obtinuisse constaret, & in reli-  
quis ejusdem Constitutionis forma in illarum  
erationibus & institutionibus respective servata  
fuissent, omnesque & singulos juris & facti defec-  
tos, qui propter præmissa desuper quomodolibet  
intervenerint, seu intervenisse dici, censi, vel  
prætendi possint, supplemus & sanamus; &,  
quatenus opus sit, ipsas Confraternitates om-  
nes & singulas, servata tamen ceteroqui Confi-  
tutionum & Decretorum hujus Sanctæ Sedis,  
præterim circa distantiam locorum, in erectione  
Confraternitatum similis Instituti servandam,  
emanatorum, forma & dispositione, de novo  
erigimus & instituimus.

**S. 3.** Ceterum in erectione & institutione simili-  
um Confraternitatum de cetero faciendis for-  
matum.

Prioris Ge-  
neralis Or-  
dinis hujus  
petitio.

Confirman-  
tur omnes  
dd. erectoræ  
cum  
communicati-  
onem omni-  
um Indul-  
gentiarum,  
Privilegio-  
rum &c.

Addito De-  
creto quod  
in futuris